

Stilicho, vir diu illustrissimus, qui Theodosio in omnibus bellis & victoriis Comes, & per gradus militiæ ad summam auctoritatem & regiam auctoritatem evectus, tandem rebus secundis fatigatus & ambitione abreptus misere periit. Hic provide sane per aliquot annos rebus imperii prospexit, Britanniamque contra Pictos, Scotos & Saxones communivit. Vnde Britannia de se apud Claudianum,

*Me quoque vicinis pereuntem gentibus, inquit,  
Munivit Stilico, totam quum Scotus Hybernem  
Movit, & infesto spumavit remige Thetis.  
Illius effectum curis, ne bella timerem  
Scotica, nec Pictum tremere, ne littore toto  
Prosperem dubiis venientem Saxona ventis.*

Satisque tuta ab hostibus Britannia tunc videbatur. Alibi enim canit ille,

*domito quod Saxona Thetis  
Mitior, aut fracto secura Britannia Picto.*

Cumque Alaricus Gothorum Rex Romæ immineret, legio quæ ad litem contra barbaros stationem habuit, hinc evocata, ut innuit Claudianus, cum auxilia undique accersita memorat,

*Venit & extremis legio præsentia Britannis,  
Quæ Picto dat frena truci, ferroque notatas  
Perlegit exanimis Picto moriente figuras.*

*Fastidius.  
Genadius.  
Chrysan-  
thus.  
Niceph.*

His temporibus Fastidius Britanniarum Episcopus floruit, librosque doctrina Deo sane digna, scripsit. Chrysanthus quoque Episcopi Martiani filius, qui cum consularis Italiæ sub Theodosio fuisset, Vicarius Britannia factus, in Republicæ administratione eam admirationem & laudem meritis, ut invitatus factus fuerit Episcopus Novatianorum Constantinopoli, qui schismate in illa Ecclesia factus, se Catharos vocantes, suos seorsim Episcopos, & sectatores habuerunt, per strenue sed impiè negantes post baptismum acceptum relapsos in peccatum ad salutem redire posse. Hic ille est Episcopus qui, ut legitur, ex redditibus ecclesiasticis nihil nisi die Dominico duos panes sibi capere solitus.

*\* i. Puri.*

*Historia  
vripartia.*

Re jam Romana in occasum divergente, & barbaris gentibus undique provincias in continente dilacerantibus, Britannici exercitus veritine vicini incendii flamma eos etiam involveret, & existimantes strenuo aliquo Imperatore opus esse ad barbaros expellendos, se ad Imperatores eligendos converterunt. Primum Marcum in Regio folio collocarunt, eique tanquam rerum in his locis potienti paruerunt. Eo deinde necato, veluti moribus illorum non respondente; Gratianum municipem in medium producunt, purpuraque & corona cinctum, ut principem observantes comitantur. verum & huic neglecto post quatuor menses imperium abrogant, vitam eripiunt, & Constantino cuidam ex infima militia auspiciati nominis omine rerum summam tradiderunt. Spem enim certam conceperunt illum ex fausto Constantini nomine constanter & feliciter imperium administraturum & barbaros profligaturum, ut Constantinus ille Maximus, qui in Britannia ad imperium assumptus. Hic Constantinus è Britannia solvens, Bononiam Gallia appulit, omnesque Romanorum exercitus ad Alpes usque in belli societatem facile allexit. Valentiam Gallia strenue contra Honorii

*Marcus  
Imp.  
Gratianus  
Imp.  
Constantinus  
Imp.*

Augusti copias propugnavit, Rhenum jampridem neglectum præsidio munivit. Ad Alpes Cottias, Pœninas, & maritimas, qua via patuit, munimenta construxit. In Hispania auspiciis filii Constantis, quem ex monacho Augustum declaraverat, res feliciter gessit, litterisque postea ad Honorium datis, culpam deprecatus, quod sibi purpuram vi à militibus injici passus fuerit, ab eo Imperatoriam vestem dono accepit. Vnde elatior, Alpibus superatis Romam cogitat, sed accepta Alarici Gothi morte, qui suis partibus studuerat, Arelatem recessit, ubi imperii sedem fixit, Constantinamque urbem vocari, & in ea septem Provinciarum conventus agi jussit. Constantem filium ex Hispania accersit, quo de summa rerum consultarent præsentis. Ille instrumendo aulæ & conjugæ suæ Cæsaraugustæ dimissis, Gerontio intra Hispanias omnibus demandatis, ad patrem continuato itinere decurrit. Qui ubi convenerint, interjectis diebus plurimis, nullo ex Italia metu, Constantinus gulæ & ventri deditus, redire ad Hispanias filium monet. Qui præmissis agminibus, dum cum patre resideret, ab Hispania nuntii veniunt à Gerontio Maximum, unum è clientibus suis, ad imperium fuisse evectum, atque comitatu gentium Barbararum accinctum in ipsos parare. Quo exterriti, Edo becco ad Germanas gentes præmissis, Constantis, & Præfectus jam Decimus Rusticus ex officiorum magistro, petunt Gallias cum Francis & Alamannis, omni que militum manu, ad Constantinum jamjamque redituri. Sed Constantem Viennæ Gallia interceptit & peremit Gerontius: Constantinum ipsum Arelati obsidione incinxit; ad quem oppugnandum, cum Constantius quidam ab Honorio missus infesto agmine properaret, Gerontius timide terga dedit, unde milites ejus ira perciti domum ejus circumvallant, ipsumque eo adigunt, ut primum Alano fidissimo amico caput amputaverit, deinde Nunnichia uxori cum marito perire flagitanti, & postremo sibi manus intulerit. Constantinus gravissima obsidione pressus & infelici Edo becci pugna animum despondens, post quartum obsidionis mensem, & quartum itidem imperii annum, deposita purpura, & fortunæ suæ mole, Ecclesiam ingressus Presbyteri suscepit ordinem, statimque Arelate dedita in Italiam ductus, capite plectitur una cum Iuliano filio, quem Nobilissimum dixerat, & fratre Sebastiano. Ex eo tempore Britannia ad Honorii imperium reversa, & recreata parumper prudentia & fortitudine Victorini qui provinciam tunc rexit, & Pictorum Scotorumque excursus repressit. In cujus laudem, apud Rutilium Claudium hi extant digni auctore versiculi,

*Nicephor.  
Callistrus.*

*Victorinus  
Rector Bri-  
tanniæ.*

*Conscius Oceanus virtutem, conscia Thule  
Et quæcumque ferox arva Britannus arat.  
Qua præfectorum vicibus frenata potestas  
Perpetuum magni sœnis amoris habet.  
Extremum pars illa quidem discessit in orbem;  
Sed tanquam medio rector in orbe fuit.  
Plus palme est illos inter voluisse placere,  
Inter quos minor est displicuisse pudor.*

Roma ab Alarico capta Victorinum cum exercitu revocat Honorius, statimque Britanni sumptis